ſtam; ergo Chriſti corpus &c. minor enim propoſitio probabilis eſt Scotiſtis, Thomiſtis vero negantibus. Vel tandem ex duabus probabilibus, ut ſi dicas: *Sacramenta novæ legis fortius cauſant gratiam, quam ſacramenta veteris legis; ſed ſacramenta veteris legis cauſabant gratiam moraliter:* ergo *Sacramenta novæ Legis cauſant gratiam pluſquam moraliter.*

Certum eſt ergo, quod ex duabus probabilibus, vel ex una credita, & altera probabili, non habetur concluſio certa, ſed ſolum probabilis, quia concluſio ſequitur ſortem præmiſſarum, & ſi una eſt probabilis, licet altera ſit fide certa, non ſequitur concluſio, niſi probabilis, juxta philoſophicum effatum: Concluſio ſequitur debiliorem partem. Dum ergo quærimus, an Concluſio Theologica ſit certior, loquimur de ea, quæ, vel ex duabus Fide Divina creditis, vel ex una credita, & altera naturali neceſſaria procedit.

§. II.

Primæ partis reſolutio.

V. DIco. Concluſio Theologica, quæ infertur, vel ex duplici præmiſſa revelata, vel ex una naturali neceſſaria, & altera revelata, certior eſt ſecundum ſe, ſeu certitudine objecti, & motivi, quacumque ſcientia naturali, & etiam per ſe loquendo certitudine ſubjectiva; quamvis per accidens videantur ſcientiæ naturales majorem aliquando imprimere certitudinem.

Prima pars traditur a D. Thom. hic *artic. 5.* illa enim notitia certior eſt ſecundum ſe, & certitudine objecti, & motivi, quæ fertur in objectum magis neceſſarium, & immutabile, & per motivum firmius, ac certius: hujuſmodi eſt Theologia, quæ verſatur circa Deum, magis habentem immobilitatem, & neceſſitatem eſſendi, quam objecta Scientiarum naturalium. Fertur etiam in eum per medium, & motivum firmius, quam ſint motiva ſcientiarum naturalium: nititur enim principiis revelatis, & Fide Divina creditis, quæ certe majorem habent certitudinem longe, quam principia lumine naturali cognita, quibus ſcientiæ naturales fulciuntur. Primo, quia, ait Chriſtus *Luc. 21. verſ. 33. Cælum, & Terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Secundo, quia habet certitudinem objectivam ſupernaturalem, & divinam, quæ infinite major eſt quavis certitudine naturali, & creata. Tertio, quia innititur primæ veritati, & eſſentiali, quæ certior eſt eo, quod nititur veritati participatæ. Ergo Theologia noſtra ex parte motivi, & objecti certior eſt &c.

VI. Secunda vero pars, quod Theologia per ſe loquendo ſit certior etiam ſubjective, probat. ex Div. Thoma *2. 2. quæſt. 4. artic. 8. ad 2.* dicente: *multo magis homo certior eſt de eo, quod audit a Deo, qui falli non poteſt, quam de eo, quod videt propria ratione, quæ falli poteſt.* Unde D. Auguſtin. *lib. 7. confeſſion. cap. 10. faciliuſque dubitarem vivere me, quam non eſſe veritatem, quæ per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpicitur;* & patet ratione adducta pro prima parte. Quod vero per accidens aliquando minorem imprimat certitudinem, docet idem S. Doctor hic *art. 5. ad 1.* dicens: *nihil prohibet, id, quod eſt certius ſecundum naturam, eſſe quoad nos minus certum propter debilitatem intellectus noſtri;* & *2. 2. quæſt. 4. artic. 8.* ubi quærit, an fides certior ſit habitu primorum principiorum, ſapientia, & ſcientia, reſolvit, fidem eſſe quidem certiorem ſecundum ſe habitibus ſcientiæ, quia certiorem habet cauſam, nempe Veritatem Divinam, cum ſcientia habeat pro cauſa rationem humanam. Ex parte tamen ſubjecti *dicitur eſſe certius, quod plenius conſequitur intellectus hominis: & per hunc modum, quia ea, quæ ſubſunt tribus prædictis* (habitui principiorum, ſapientiæ, & ſcientiæ) *ideo ex hac parte fides eſt minus certa. Sed quia unumquodque judicatur, ſimpliciter quidem ſecundum cauſam ſuam, ſecundum autem diſpoſitionem, quæ ex parte ſubjecti eſt, judicatur ſecundum quid; inde eſt, quod fides eſt ſimpliciter certior; ſed alia ſunt certiora ſecundum quid, ſcilicet quoad nos.*

Ex quibus poteſt concipi ratio. Illud ex parte ſubjecti certius, & firmius eſt, quod magis intellectum movet plenius ab eo poſſidetur, & connaturalius ad illud fertur; ſed ſcientiæ naturales firmius movent, quia movent ratione certitudinis, & evidentiæ ſimul; plenius etiam ab intellectu poſſidentur, quia earum veritates in ſe ipſis videt; & connaturalius ad illas fertur, quia ſibi magis proportionatas, & ad quas non eget alio lumine, quam naturali, e contra vero, ut aſſentiatur veritati revelatæ, debet intellectus ſurgere ſupra ſe, & ſupra proprium naturale judicium, rebus etiam, quæ aliquando rationi naturali repugnare videntur, illudque fidei magiſterio ſubjicere; juxta illud Pauli *2. Cor. 10. verſ. 5. in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Ergo &c.

VII. Dices tamen primo contra primam partem. Illud eſt certius, quod habet plures cauſas ſuæ certitudinis, ſed aliæ ſcientiæ habent plures cauſas ſuæ certitudinis; ſcilicet ex parte medii, & ex parte evidentiæ, & ſunt certiores ex omni parte, nempe nedum ex parte objecti, & medii, ſed etiam ex parte ſubjecti. Ergo &c.

Reſpondeo, majorem eſſe veram, ſi cætera ſint paria, quod non contingit in caſu. Nam auctoritas divina, quæ eſt cauſa certitudinis in Theologia, majoris eſt certitudinis, immo majorem certitudinem poteſt parere, quam rationes humanæ cum certitudine, & evidentia. Quod ſi non ſemper eam pariat, hoc ex defectu ſubjecti accidit, quod eam non plene aſſequitur. Unde D. Thom. *2. 2. quæſt. 4. art. 8. ad 1.* loquens de dubitatione, quæ aliquando inſurgit in intellectu circa ea, quæ ſunt fidei; *Illa dubitatio* (inquit) *non eſt ex parte cauſæ fidei, ſed quoad nos, in quantum non plene aſſequimur per intellectum ea, quæ ſunt fidei,* ſicut ſi noctua in meridiana luce parum videat, aut nihil, non tribuitur defectui luminis, ſed videntis: *Nihil enim prohibet* (inquit D. Thom. *1. part. quæſt. 1. artic. 5. ad 1.*) *id, quod eſt certius ſecundum naturam, eſſe quoad nos minus certum propter debilitatem intellectus noſtri, qui ſe habet ad manifeſtiſſima naturæ, ſicut oculus noctuæ ad lumen Solis.* Hoc autem ſolum probat, Theologiam eſſe minus certam quoad nos, & ſecundum quid, non autem ſimpliciter.

VIII. Hinc licet cognitio principiorum naturalium habeatru ſine diſcurſu, cognitio vero Theologica per diſcurſum, cognitio habita ſine diſcurſu ſit certior, utpote habens certitudinem ex ſe, & connexione immediata terminorum, non vero ab alia participatam; non ſequitur adhuc, cognitionem principiorum fore ſecundum ſe certiorem cognitione Theologica. Nam ratio hæc valeret quidem, ſi utraque cognitio eſſet ejuſdem ordinis, ſcilicet naturalis, in quo non eſt dubium, quin cognitio, quæ certitudinem habet ex ſe, certior ſit ea, quæ certitudinem habet ab alio; ſed cum in caſu cognitio, quæ eſt certa ex ſe, ſit in ordine naturali, quæ vero certa eſt ex alio, ſit in ordine ſupernaturali, & conſequenter eam habeat a principio incomparabiliter certiori, ratio non valeat, quia inter ea, quæ ſunt diverſi ordinis, comparatio non datur.

Similiter licet intellectus, dum aſſentitur veritati naturali, neceſſario prorſus procedat, quia evidentia convictus; dum vero aſſentitur Fidei, vel Theologicæ veritati, libere ſaltem radicaliter procedat, cum ex pia motione libere moveatur ad credendum; non ſequitur firmius adhærere veritati naturali, quam veritati Theologicæ. Quia illa pia motio cum a Spiritu Sancto ſit, quamvis libere moveat, firmius tamen, & magis infallibiliter movet, quam moveat natura ipſa neceſſitans ad aſſentiendum per evidentiam: ſicut Deus agens libere firmius agit quolibet agente naturali neceſſario. In tantum autem in ſcientiis naturalibus aſſenſus liber non eſt æque certus, ac neceſſarius, quia ſemper oritur ex medio fallibili & non certo, quod proinde non infallibiliter obtinet aſſenſum,

IX. Dices ſecundo contra eamdem. Quod eſt cauſa certitudinis concluſionis Theologicæ eſt certius ipſa concluſione; ſed principia naturalia ſæpe ſunt cauſa certitudinis in concluſione Theologica; ergo hæc iſta ſunt certiora. Maj. patet ex duplici Philoſophico axiomate, nimirum: *propter quod unumquodque tale, & illud magis,* & iſtud: *Concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem.*

X. Hoc argumento concluditur quidem, Concluſionem Theologicam deductam ex una præmiſſa de fide & altera naturali fore minus certam concluſione deducta ex duabus præmiſſis de fide, ut multi exiſtimant, non tamen fore minus certam etiam concluſione deducta ex duabus præmiſſis ſolum naturaliter notis, cujus oppoſitum hic ſuſtinemus.

Cæterum reſpondeo diſt. maj. quod eſt cauſa adæquata, & ratione ſuæ certitudinis &c. eſt certius &c. conc. maj. quod eſt cauſa ſolum inadæquata, nec influens niſi ratione alterius; nego major. & ſimiliter diſtincta min. nego conſequentiam. Quia ergo propoſitio naturalis aſſumpta in demonſtratione Theologica non concurrit ad concluſionem, ut cauſa adæquata, neque ratione ſui, ſed ut elevata, & inſerviens alteri præmiſſæ de fide, explicando veritatem, quam ipſa enunciat; ideo certitudo concluſionis ex ipſa non deſumitur, nec cum ea commenſuratur, ſed unice cum præmiſſa de fide. Sicut eſto ad actum ſupernaturalem viſionis Dei concurrat intellectus, & lumen gloriæ; quia tamen intellectus non concurrit, niſi per lumen, & ut elevatus a lumine, viſionis claritas unice correſpondet lumini, non intellectui. Hinc ad illa duo axiomata; reſpondeo, quod cum ſola præmiſſa revelata ſit illa, quæ ratione ſui immediate influit, & propter quam Concluſio Theologica eſt certa, ſolum ſequitur, quod præmiſſa revelata ſit certior Concluſione Theologica. Ad ſecundum axioma dico, illud verificari, quando pars, ſeu præmiſſa debilior influit in concluſionem, quatenus eſt debilior, non vero quando, vel non influit, vel influit ratione partis fortioris. Obſervat tamen Sylvius in *1. part. quæſt. 1. art. 5.* quod hoc axioma non ſic veritatem habet, ut oporteat omnino, defectum, qui eſt in præmiſſa debiliori, eſſe in concluſione: nam ex Philoſophia conſtat, ex falſo poſſe concludi verum, & ex contingenti neceſſarium; ſed ſic, ut defectus, qui forte reperitur in concluſione, ſemper deputandus ſit cauſæ debiliori. Aut alioquin intelligendum eſt, quando cauſa fortior non elevat debiliorem.

XI. Replicabis. Si ita eſt, quod præmiſſa naturalis neceſſaria, ut elevata per præmiſſam de fide, poſſit ad concluſionem certam Theologice concurrere, eadem ratione dici poterit, quod etiam præmiſſa naturalis probabilis, ut conjuncta cum præmiſſa de fide, poſſit concurrere ad Concluſionem Theologicam certam. Quod tamen eſt falſum.

Nego paritatem. Nam propoſitio naturalis neceſſaria eſt intrinſece certa, & ex conjunctione cum præmiſſa de fide elevatur ad majorem certitudinem: at præmiſſa tantum probabilis, cum ſit ex ſe intrinſece fallibilis, & dubia, omniſque expers certitudinis, & per hoc, quod aſſumatur in ſyllogiſmo Theologico, non judicetur, & approbetur a fide, vel Theologia ut certa, ſed tantum ut probabilis, remanet ſemper probabilis. In hoc tamen poteſt fieri paritas. Quod ſicut propoſitio certa naturaliter, dum aſſumitur a Theologia, induit majorem certitudinem, ſic propoſitio probabilis induat majorem probabilitatem, quam ex ſe haberet, quod non negabimus.

XII. Dices tertio contra eamdem primam partem. Propoſitio hæc disjunctiva: *Deus eſt trinus, vel non trinus:* quæ reducitur ad hoc principium naturale, *quodlibet eſt, vel non eſt:* certior eſt qualibet categorica ipſam componente; ergo certior eſt hac categorica: *Deus eſt trinus:* quæ eſt propoſitio de fide; & ſic datur aliquod principium naturale certius propoſitione de fide.

Reſpondet Gonet, quod in hac propoſitione: *Deus eſt trinus:* duplex certitudo conſiderari poteſt; una, quam habet ex vi contradictionis cum iſta: *Deus non eſt trinus;* ex illo primo principio: *quodlibet eſt, vel non eſt;* alia, quam habet ex lumine Fidei, & Divinæ Revelationis. Licet autem ſi attendatur prima certitudo, propoſitio disjunctiva: *Deus eſt trinus, vel non trinus,* aliquomodo dici poſſit certior iſta categorica: *Deus eſt trinus;* non tamen ſi in iſta attendatur certitudo, quam habet ex eo, quod eſt revelata. Sed quia hæc reſponſio concedit, veritatem revelatam in aliquo ſenſu eſſe minus certam propoſitione aliqua naturali. Ideo aliter reſponderi poteſt, negando abſolute anteced. cum Fraſſen. *diſſert. 1. art. 3. quæſt. 3. concl. 1.* nam eodem actu, quo quis aſſentitur huic veritati: *Deus eſt trinus,* eodem diſſentitur propoſitioni oppoſitæ: *Deus non eſt trinus:* Sicque eo ipſo, quod proponitur, Deum eſſe trinum, proponitur, non eſſe ejus oppoſitum. Quare hæc propoſitio: *quodlibet eſt, vel non eſt,* continetur in propoſitione revelata, & eſt revelata virtualiter in articulo, quo eſſe trinum proponitur. Unde certitudo rei revelatæ non fundatur in illo principio, ſed potius certitudo illius principii fundatur in certitudine rei revelatæ.

§. III.

Reſolutio ſecundæ Partis.

XIII. DIco. Theologia noſtra dignior eſt ſcientiis naturalibus. Ita Div. Thomas *hoc artic. 5.* cujus ratione probatur ſic: Theologia comprehendit in ſe ſpeculativum, & practicum; atqui nulla alia ſcientia naturalis comprehendit in ſe ſpeculativum, & practicum; ergo ex hac parte illas tranſcendit dignitate. Inſuper ſuperat dignitate omnes ſcientias, tum ſpeculativas, tum practicas. Speculativas quidem; Nam ſpeculativarum ſcientiarum una eſt altera dignior, vel quia certior, vel quia circa digniorem materiam verſatur: atqui Theologia ſuperat alias ſcientias certitudine, ut §. præcedenti oſtenſum eſt, ſuperat etiam dignitate materiæ, nam Theologia eſt de his principaliter, quæ ſua altitudine rationem tranſcendunt; aliæ vero ſcientiæ conſiderant ea tantum, quæ rationi ſubduntur: ergo Theologia ſuperat dignitate omnes alias ſcientias ſpeculativas. Superat etiam practicas; Nam ſcientiarum practicarum illa dignior eſt, quæ ad altiorem finem ordinatur, ſicut civilis dignior eſt militari, quia bonum exercitus ad bonum civitatis, quod altius eſt, ordinatur; ſed finis Theologiæ, quatenus eſt practica, eſt beatitudo æterna, ad quam ſicut ad ultimum finem ordinantur fines omnium aliarum ſcientiarum practicarum; ergo eſt dignior omnibus aliis ſcientiis, tum ſpeculativis, tum practicis.

XIV. Dices primo. Theologia accipit aliquid ab aliis ſcientiis; ſed accipere inferioris eſt, non dignioris; ergo Theologia eſt inferior, non dignior aliis ſcientiis.

Reſpond. Div. Thomas hic ad 2. quod Theologia *accipere poteſt aliquid a Philoſophicis diſciplinis, non quod ex neceſſitate eis indigeat, ſed ad majorem manifeſtationem eorum, quæ in hac ſcientia traduntur. Non enim accipit ſua principia ab aliis ſcientiis, ſed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis ſcientiis tamquam a ſuperioribus, ſed utitur eis tamquam inferioribus, & ancillis, ſicut architectonicæ utuntur ſubminiſtrantibus, ut civilis militari. Et hoc ipſum, quod ſic utitur eis, non eſt propter defectum, vel inſufficientiam ejus, ſed propter defectum intellectus noſtri, qui ex his, quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ ſcientiæ) cognoſcuntur, facilius manuducitur in ea, quæ ſunt ſupra rationem, quæ in hac ſcientia traduntur.* Hæc D. Thom.

XV. Dices ſecundo. Scientia, quæ habet certitudinem ſine evidentia non eſt dignior ſcientiis, quæ habent certitudinem cum evidentia; ſed Theologia habet certitudinem ſine evidentia, aliæ vero ſcientiæ habent certitudinem cum evidentia; ergo &c.

Reſpondeo diſt. maj. ſi certitudo ſine evidentia ſit minor certitudine cum evidentia, conc. maj. ſi non ſit minor, immo major, nego maj. cum enim evidentia quæratur a ſcientia propter certitudinem, ſi abſque evidentia haberi poſſit major certitudo, perfectior erit ſcientia ſine evidentia, quam ſcientia cum evidentia; cum autem Theologia ſine evidentia habeat firmiorem certitudinem, nixam primæ, & infallibili veritati; aliæ vero ſcientiæ cum evidentia habeant infirmiorem certitudinem, quia nixam rationi humanæ; ideo ſimpliciter dignior eſt Theologia &c.

XVI. Dices tertio. Scientia dignior eſt, quæ perfectius objectum ſuum attingit; ſed aliæ ſcientiæ ita ſe habent; nam objecti ſui naturam, omneſque illius partes detegunt, & aperiunt; Theologia autem vix quidquam de objecti ſui natura, & proprietatibus percipit; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſi objectum, quod attingit, ſit præſtantius, vel æque dignum, conc. maj. ſi objectum ſit minus perfectum, nego maj. Nobilius eſt (ait Ariſt. *2. de animalibus*) autem parum attingere de nobilioribus ſubjectis, quam multum de aliis. Et D. Thom. *1. part. quæſt. 1. art. 5. ad 1.* ait: *minimum, quod poteſt haberi de cognitione rerum altiſſimarum, deſiderabilius eſt, quam certiſſima cognitio, quæ habetur de minimis rebus.* Cum ergo objectum Theologiæ ſit præſtantiſſimum, & altiſſimum, & ex illius exceſſu procedat, quod parum de illo aſſequatur, hoc non tollit, quin cæteris ſcientiis præſtantior ſit, quæ de rebus inferioribus tractant, quamvis majori claritate illas detegant.

Reſpondetur ſecundo. Hinc ad ſummum ſequi, alias ſcientias naturales fore perfectiores relative, & penes attingentiam ſui objecti, cum quo magis proportionantur; non autem abſolute, & ſimpliciter. Ita idem S. Doctor loco laudato. Sicut viſio Solis ab Aquila ſecundum ſe, & ex objecto perfectior eſt viſione candelæ ab oculo meo; quia illa a præſtantiori, & acutiori potentia viſiva eſt, & circa objectum præſtantius. Secundum attingentiam vero hæc dicitur perfectior; quia oculus meus magis proportionatur objecto candelæ, meliuſque eam comprehendit viſu, quam oculus Aquilæ proportionetur, & comprehendat ſolem.

XVII. Dices quarto. Ea ſcientia eſt ratione materiæ præſtantiſſima, quæ eſt de objecto ampliſſimo, continente ſub ſe objecta aliarum ſcientiarum: talis autem potius eſt Metaphyſica, quæ, cum habeat pro objecto ens, quatenus ens, ſub quo continetur etiam Deus, quod eſt objectum Theologiæ, ſola habet objectum ampliſſimum, & ſubinde præſtantiſſimum.

Reſpond. maj. eſſe veram, ſi cætera ſint paria, ideſt ſi utraque ſcientia ſit ejuſdem ordinis, & ſub eodem lumine ſuum objectum contempletur, quod in caſu non contingit. Nam Metaphyſica conſiderat quidem ens, ut ens, ſed prout naturali lumine cognoſci poteſt. At Theologia conſiderat Deum, prout tamen ſupernaturali tantum lumine poteſt cognoſci; & propterea objectum formale Theologiæ nullo modo continetur ſub objecto metaphyſicæ, cum ex his, quæ ſunt diverſi ordinis, unum non contineatur in alio. Et licet etiam objectum metaphyſicæ contineret objectum Theologiæ, contineret illud continentia prædicationis; objectum autem Theologiæ continet omnia entia continentia cauſalitatis, qui continentiæ modus præſtantiſſimus eſt.

§. IV.

Reſolutio tertiæ Partis.

XVIII. DIco. Theologia noſtra maxime, & ſimpliciter inter omnes ſcientias humanas ſapientia eſt. Ita S. Doctor hic *art. 6.* Non loquitur hic D. Thom. de ſapientia infuſa, quæ Spiritus Sancti donum eſt, & importat quamdam rectitudinem Judicii circa divina conſpicienda, & conſulenda, procedentem ex charitate, quæ nos unit Deo; ſed de ſapientia acquiſita, quæ eſt una ex quinque virtutibus intellectualibus, enumeratis ab Ariſt. *6. Ethic. cap. 4.* quæ habet judicare de rebus per altiſſimas cauſas; ut docet idem Angelicus *1. 2. qu. 66. art. 5.*

XIX. Prob. ratione D. Thom. ſic. Illa eſt maxime, & ſimpliciter ſapientia, quæ de inferioribus diſponit, & judicat per cauſas altiſſimas; ſed Theologia noſtra eſt talis reſpectu ad ſcientias naturales; ergo eſt maxime ſapientia. Maj. explicatur. Cum ſapientis ſit ordinare, & judicare, judicium autem per altiorem cauſam de inferioribus habeatur, ille ſapiens dicitur in unoquoque genere, qui conſiderat cauſam altiſſimam illius generis. Hinc in genere ædificii artifex, qui diſponit formam domus, dicitur ſapiens, & architector reſpectu inferiorum artificum, qui dolant ligna, vel parant lapides: unde dicitur *1. Cor. 3. 10. ut ſapiens architectus fundamentum poſui.* Et rurſus in genere totius humanæ vitæ prudens dicitur Sapiens, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem. Unde *Proverb. 10. verſ. 23. ſapientia autem eſt viro prudentia.* Ille igitur, qui conſiderat ſimpliciter altiſſimam cauſam totius univerſi, quæ Deus eſt, maxime Sapiens dicetur; unde & ſapientia dicitur eſſe *divinorum cognitio,* ut Auguſtin. *lib. 12. de Trinit. cap. 14.* Minor etiam probatur. Theologia agit de Deo, ſecundum quod eſt altiſſima cauſa, non enim ſolum agit de illo, quantum ad illud, quod eſt per creaturas cognoſcibile (quod Piloſophi cognoverunt, *Rom. 1. verſ. 19. Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*) ſed etiam quantum ad id, quod eſt notum ſibi ſoli de ſe ipſo, & aliis per revelationem communicatum; ergo Theologia &c. hinc vocatur Sapientia. *Deuter. 4. verſ. 6. Hæc eſt enim veſtra ſapientia. Eccleſiaſtici 39. verſ. 1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. 1. Cor. 2. verſ. 6. & 7. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: Sapientiam vero non hujus ſeculi, neque Principum hujus ſeculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt,* quam nimirum Chriſtus ſpoponderat. *Lucæ 21. verſ. 15. Dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri.*

XX. Confirm. Theologiæ aptantur omnes conditiones, quas in vera Sapientia requirit Philoſophus *1. Metaphyſ. cap. 2.* Cognoſcit enim quodammodo omnia; conſiderat enim Deum, qui eſt omnium cauſa, ejuſque effectus; agitque propterea de ipſo, ut ſupremo efficiente, & ultimo omnium rerum fine; ideoque de rerum omnium ab ipſo emanatione, conſervatione, gubernatione, atque in ſuos fines directione. Quare dici poteſt ſcientia omnium, non quidem in univerſali ſecundum prædicationem, & cognitionem, quaſi traderet principia, quibus res ſingulæ cognoſcerentur: ſed quia fontem, ac principium omnium rerum, earumque ultimum finem aperit, & quidem divino, ac ſupernaturali lumine fidei innixa; quod certe multo nobilius eſt, quam ſi traderet generales, & communes omnium rerum conceptus, earumque principia complexa, ut facit metaphyſica. Secundo verſatur circa difficilia: quid enim intellectu, & cognitu difficilius, quam ſcrutari ea, quæ omnem vim humanæ rationis excedunt? Tertio: eſt certiſſima,

tam ejus principia, & media certitudinem habeant ex Divino Teſtimonio, quo nihil certius. Quarto: non ordinatur ad aliam ſcientiam, ſed ipſa eſt finis omnium; Unde & omnes ipſi ſubſerviunt. Quinto tandem: habet judicare de veritatibus aliarum ſcientiarum, juxta illud 2. *Cor.* 10. *verſ.* 4. & 5. *conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.* Unde videmus, Theologia multos errores fuiſſe detectos, ſive naturæ Philoſophiæ, ſive Juriſprudentiæ repugnantes, multaque Philoſophica aſſerta, quæ videbantur Doctrinæ Theologicæ repugnantia, fuiſſe conciliata.

XXI. Dices primo. Theologia eſt ſcientia, ut dictum eſt; ergo non eſt ſapientia, nam ſcientia condividitur ſapientiæ.

Reſpondetur nego conſequentiam: ut enim ait D. Thom. *opuſc.* 70. Sapientia non dividitur contra ſcientiam, ſicut oppoſitum contra oppoſitum, ſed quia ſe habet ex additione ad ſcientiam. Nam, ut ait 1. 2. *quæſt.* 57. *art.* 2. *ad* 1. *Sapientia eſt quædam ſcientia, in quantum habet id, quod eſt commune omnibus ſcientiis, ut ſcilicet ex principiis concluſiones demonſtret, ſed quia habet aliquid proprium ſupra alias ſcientias, in quantum ſcilicet de omnibus judicat*: idque non ſolum quantum ad concluſiones, ſed etiam quantum ad principia. Quare ſicut anima rationalis eminenter continet vegetativam, & ſenſitivam, ita ſapientia eminenter continet ſcientiam, & intellectum; non quidem ſicut genus continet ſuas ſpecies, neque ſicut totum integrale continet ſuas partes integrales, ſed ſicut totum potentiale continet ſuas potentias, quarum una eſt, quod in ſe habeat quidquid perfectionis eſt in ſcientia, & intellectu: qua ſimilitudine utitur S. Doctor *d. art.* 2. *ad* 2. Propterea in 1. *diſt.* 35. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 5. (inquit) *Sapientia ſcientia eſt, ſed non convertitur: quia illa ſcientia ſola ſapientia eſt, quæ cauſas altiſſimas conſiderat.*

XXII. Dices ſecundo. Scientia, quæ ſupponit ſua principia aliunde, non eſt ſapientia, quia ſapientis eſt ordinare 1. *Met. cap.* 2. ſed Theologia ſupponit ſua principia aliunde, ut dictum eſt; ergo &c.

Reſp. D. Thom. hoc *art.* 6. *ad* 2. majorem eſſe veram de ſcientia, quæ ſupponit ſua principia ab alia ſcientia humana, non vero de ſcientia, quæ ſupponit ſua principia ab alia ſcientia Divina, a qua oritur omnis ſcientia, & omnis ſapientia.

XXIII. Dices tertio. Ad ſapientiam pertinet probare principia aliarum ſcientiarum, unde dicitur Caput ſcientiarum 6. *Ethic. cap.* 6. ſed Theologia non probat principia aliarum ſcientiarum; ergo &c.

Reſp. nego maj. ad ſapientiam enim maxime ſupremam non pertinet probare principia aliarum ſcientiarum, quia vel ſunt per ſe nota, & ſic probari non poſſunt, vel non ſunt per ſe nota, & tunc per rationem naturalem probari poſſunt, cui non nititur Suprema Sapientia, ſed Divinæ Revelationi. Ad ſapientiam ergo pertinet judicare de veritate principiorum aliarum ſcientiarum (unde quidquid invenitur in aliis ſcientiis veritati hujus ſcientiæ repugnans, totum condemnatur ut falſum) & illa contra impugnantes defendere. Videatur Div. Thomas hoc *artic.* 6. *ad* 2.

XXIV. Dices quarto. Ideo ſapientia eſt nobilior ſcientia, quia explicat, & tuetur ejus principia; ſed Theologia explicat, & tuetur principia, ſeu articulos fidei, & tamen non eſt nobilior fide: ergo &c.

Reſpondeo, Ideo ſapientiam eſſe præſtantiorem ſcientia, quia explicat, & tuetur ejus principia per principia altiora: quod non facit Theologia erga articulos fidei; eos enim tuetur, vel ipſa fide, vel per principia naturalia, oſtendendo, principia fidei non repugnare Philoſophiæ, quæ non ſunt principia altiora; ideoque ſicut aliæ ſcientiæ ſerviunt Theologiæ, ita Theologia famulatur fidei, non dominatur.

D u b i u m VI.

An Deus ſit objectum Theologiæ.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Objectum, ut docent Logici, duplex eſt. Materiale, & formale. Materiale eſt res ipſa, circa quam potentia, aut habitus verſatur. Formale vero eſt forma, ſeu formalitas, quam potentia, & habitus attingunt in objecto materiali, id-eſt in re, circa quam verſantur. V. g. paries eſt objectum materiale viſionis; formale eſt color, quem viſus attingit in pariete. Hinc patet, quod objectum materiale per ſe, & ratione ſui non attingitur, ſed ſolum ratione objecti formalis.

Inſuper quilibet habitus, vel potentia præter objectum materiale, & formale, habet etiam motivum, ſeu medium, per quod attingit objectum ſibi proprium. Sic auctoritas Dei revelantis eſt motivum, propter quod fides aſſenſum præbet revelatis. Sic lux eſt medium, per quod viſus attingit coloratum. Hoc motivum, ſeu medium vocari ſolet objectum formale, quo, ſeu ratio formalis ſub qua.

II. Veritas aliqua poteſt dici revelata dupliciter. Primo in ſe, & immediate. Sic revelatum eſt, quod Deus ſit trinus in Perſonis, quod Chriſtus ſit vere homo. Secundo mediate tantum, & in alio, nimirum, quia ex alia in ſe, & immediate revelata deducitur. Sicut ex iſta propoſitione: Chriſtus eſt homo; quæ eſt immediate revelata, deducitur iſta: Chriſtus eſt riſivus; quæ ideo dicitur virtualiter revelata. His ſtantibus.

III. Dico primo. Objectum materiale Theologiæ ſunt Deus ipſe, & res, quæ ad Deum referuntur. Probatur ex obſervatis: Objectum materiale alicujus diſciplinæ eſt res illa, de qua agit; ſed Theologia agit de Deo, ut fert ipſa nominis etymologia, agit quoque de iis, quæ ad Deum referuntur; vel ut effectus ad cauſam, ut Angelus, Homo, aliæque Creaturæ; vel ut medium ad finem, ut ſunt actus humani; aut tamquam inſtrumentum, animatum quidem, & excellentiæ, ſicut Chriſti humanitas, ad hominis lapſi reparationem: vel inanimatum, ut ſunt Sacramenta, per quæ gratia ſanctificans homini confertur; ergo hæc ſunt objectum ejus materiale.

IV. Dico ſecundo. Objectum formale Theologiæ eſt Deitas, ſeu Deus ſub ratione Deitatis. Ita S. Thom. hic *art.* 7. & communiter Theologi omnes, etiam Scotiſtæ. Ratione ergo probatur ſic. Objectum formale eſt ratio, ſeu forma, quam habitus primo, & per ſe quærit, & attingit in objecto materiali: ſic debita in actibus humanis rectitudo, ideo eſt objectum formale diſciplinæ moralis, quod primo, & per ſe a doctrina morali quæratur: Atqui Deitas ſic ſe habet reſpectu Theologiæ, quæ nempe divinitatem quærit, tum in Deo conſiderato in ſe, prout eſt Unus, & Trinus: tum conſiderato extra ſe, ideſt prout eſt, aut Creator, aut ultimus finis, aut Reparator, aut Præmiator Creaturæ rationalis; Ideo de creaturis agit, quod ſint quædam participatio divinitatis; ideo de Sacramentis tractat, quod quidpiam divinum, participatum tamen, ideſt gratiam contineant: ideo tandem differit de multis rebus, quæ non ſunt Deus ipſe, quod ad divinitatis cognitionem, quam ex ſuo primario fine quærit, nonnihil conferunt; ergo &c. Ita loquitur S. Doctor *art.* 7. laudato. *Proprie enim illud aſſignatur objectum alicujus potentiæ, vel habitus, ſub cujus ratione omnia referuntur ad potentiam, vel habitum, ſicut homo, & lapis referuntur ad viſum, in quantum ſunt colorata: unde coloratum eſt proprium objectum viſus. Omnia autem pertractantur in Sacra Doctrina ſub ratione Dei, vel quia ſunt ipſe Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium, & finem; unde ſequitur, quod Deus ſit vere ſubjectum hujus ſcientiæ.*

Confirm. contra quoſdam, qui pro objecto formali ponebant alia, nimirum opera reparationis, & totum Chriſtum, *attendentes* (inquit S. Thom.) *ad ea, quæ in iſta ſcientia tractantur, & non ad rationem, ſecundum quam conſiderantur.* Sublato objecto formali tollitur habitus ſcientiæ, ſed quamvis nullum eſſet opus meritorium, quamvis nulla forent Sacramenta, & Verbum Divinum carnem non aſſumpſiſſet, adhuc ſubſiſteret Theologia, poſſet enim inferre plures concluſiones de Deo, ejuſque attributis, & probare, Deum eſſe æternum, quia immutabilis eſt; infinitum, quia ens per eſſentiam; & cætera, quæ de Deo per rationem a priori demonſtrantur; ergo nec opera reparationis, nec Chriſtus &c. ſunt objectum formale Theologiæ.

V. Dico tertio. Objectum formale quo, ſeu ratio formalis ſub qua noſtra Theologia conſiderat Deitatem, eſt revelatio virtualis, & mediata. Hoc innuit D. Thom. tum hic *art.* 3. *in corpor. & ad* 2. dum ait, *ea, quæ in diverſis ſcientiis tractantur, poteſt Sacra Doctrina una exiſtens conſiderare ſub una ratione, in quantum ſcilicet ſunt divinitus revelabilia; & in prologo V. art.* 4. ubi ens divinum cognoſcibile per inſpirationem mavult ponere pro objecto Theologiæ, quam Deum. Quapropter cum hoc *artic.* 7. ponat pro objecto Theologiæ abſolute Deum nulla facta mentione revelationis, dici debet hic loqui de objecto formali *quod*, ibi vero de objecto formali *quo*.

Probatur vero ſic. Illud eſt objectum formale *quo*, ſeu motivum, lumen, ac medium alicujus ſcientiæ, vel habitus, ſub quo, & per quod attingit, tum objectum materiale, tum formale, circa quod verſatur; in quolibet enim ſcientiæ, vel habitus objecto tria conſiderari debent, nimirum res, circa quas procedit, & hoc eſt objectum materiale, id, quod in tali re ſcientia per ſe conſiderat, & quærit, & hoc eſt objectum formale quod & ratio ſub qua, ſeu medium, quo procedit in talis rei, & formalitatis conſideratione, & hoc eſt objectum formale quo: Atqui Theologia attingit ſuum objectum, tum materiale, tum formale per virtualem, & mediatam revelationem: Siquidem attingit utrumque, quatenus habet connexionem cum iis, quæ immediate revelata ſunt, ſeu quatenus ex immediate revelatis per legitimam ratiocinationem deducitur, per quod a fide, & metaphyſica diſcrepat; ſed connexio illa, & deducibilitas nihil aliud ſunt, quam virtualis, & mediata revelatio: nam quod ex immediate revelatis deducitur, in iis virtualiter, ſeu ut in cauſa continetur; ergo &c.

Confirm. cum Theologia ſit habitus eſſentialiter diverſus a fide, & a metaphyſica, debet habere medium, ſub quo procedit, diverſum a medio utriuſque; ſed per hoc, quod habeat pro medio, & objecto *quo* virtualem revelationem, optime diſtinguitur; quia medium quo fidei eſt formalis, & immediata revelatio; medium quo metaphyſicæ, & cujuſvis ſcientiæ naturalis eſt naturalis evidentia; ergo &c. Sic etiam ſalvatur, quomodo fides ſit lumen principiorum Theologiæ, quia ea, quæ in lumine principiorum ſunt immediate nota, & per ſe, in ſcientia, quæ illo regulatur, ſunt nota tantum mediate, & per aliud: ita ea, quæ immediate revelata ſunt in fide, in ſcientia Theologica mediate, & per aliud revelata eſſe debent. Salvatur etiam ſubalternatio Theologiæ noſtræ ſcientiæ Dei, & Beatorum: ſicut enim iſtius objectum eſt Deus, ut clare viſus; ita illius debet eſſe Deus, non ut viſus, ſed ut obſcure cognitus in ſuis principiis.

§. II.

Solvuntur contraria.

VI. Objicies primo contra ſecundam concluſionem. Illud non eſt objectum alicujus diſciplinæ, cujus exiſtentia illi non præſupponitur; atqui exiſtentia Dei non præſupponitur Theologiæ: illud enim non præſupponitur, quod demonſtratur: exiſtentia autem Dei demonſtratur a Theologia; ergo &c.

Reſpondetur negando minorem. Theologia enim ſupponit de Deo auctore gratiæ, quo pacto eſt ejus objectum; quod ſit, & quid ſit: hoc enim dictatur a fide; juxta illud Pauli *ad Hebr.* 11. *verſ.* 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt.* Neque hoc poteſt ſaltem a priori demonſtrare, ſed ſolum a poſteriori, dum per effectus oſtendit, Deum eſſe, quod tamen non ex propriis, ſed ex principiis extraneis facit: & hoc ideo, quia ipſius tamquam ſapientiæ officium eſt, principia ſua contra negantes defendere, & contra impugnantes tueri, & explicare.

VII. Objicies ſecundo. Objectum formale adæquatum alicujus ſcientiæ prædicari debet de omnibus objectis ſpecialibus, quæ ab illa ſcientia conſiderentur; ſed Deitas non prædicatur de Angelis, de Sacramentis, de Gratia, de Virtutibus, quæ tamen in Theologia conſiderantur; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. de omnibus &c. quæ conſiderantur per ſe, & primario, conc. Maj. quæ conſiderantur ſecundario, & ratione alterius, ſubdiſt. debet prædicari in obliquo, conc. maj. in recto, neg. maj. Objectum ergo debet prædicari quidem in recto de omnibus particularibus per ſe, & primario ab illa ſcientia inſpectis; & ſic Deitas prædicatur de omnibus divinis: de iis vero, quæ ſcientia conſiderat ſecundario, & ratione alterius, ſufficit, ut objectum prædicetur in obliquo, & ſic Deitas prædicatur de ſingulis enumeratis: licet enim non ſint Deus, ſunt tamen, ut a Theologia inſpiciuntur, vel effectus Dei, vel media conducentia ad Deum, ut finem ſupernaturalem.

VIII. Objicies tertio. Objectum formale debet eſſe cauſa, & ratio formalis omnium proprietatum, quæ de objecto demonſtrantur; ac deitas non eſt cauſa, & ratio formalis innaſcibilitatis, quæ eſt in Patre, alioquin cum Filius, & Spiritus Sanctus habeant Deitatem, eſſent formaliter innaſcibiles; ergo &c.

Reſpond. diſt. maj. determinate tamen, & relate ad ſubjectum, in quo eſt, & de quo prædicatur, conc. maj. aliter, nego maj. Sicut ergo naturalitas, ſeu mobilitas, quæ eſt objectum formale phyſicæ, eſt ratio, atque cauſa formalis omnium proprietatum, quæ de corpore mobili demonſtrantur, non tamen in omni corpore mobili eaſdem radicat proprietates, ſed proprietates quidem generales radicat in omnibus, at vero ſpeciales, ſolum eas radicat determinate ad ſubjectum, in quo eſt; unde eas, quas radicat in homine, non radicat in bruto: Ita deitas proprietates communes omnibus Divinis radicat quidem in omnibus, ſicut eſſe æternum, infinitum &c. quæ vero ſunt particulares, has radicat ſolum determinate ad illam perſonam, cujus ſunt proprietates; & ſic eſt innaſcibilitas, quæ ſolius Patris propria eſt, ut diſtincti a Filio, & Spiritu Sancto.

IX. Objicies quarto. Illud omne pertinere debet in recto, & per ſe ab objectum Theologiæ, cui immediate convenit ratio formalis ſub qua illius; at non ſoli Deo ſub ratione Deitatis, ſed etiam omni enti ſupernaturàli immediate convenit ratio formalis ſub qua Theologiæ; Nullum enim ens ſupernaturale eſt, quod non poſſit immediate, & per ſe revelari; ergo &c. & conſequenter objectum adæquatum Theologiæ erit omne ens revelabile, ſive Divinum, ſive non, Deus autem erit ſolum objectum principale; quod innuit D. Thom. hic *art.* 3. ubi *in corpore* dicit, Theologiam conſiderare *omnia quæcunque ſunt Divinitus revelabilia.* Quod repetit ad ſecundum, & ad primum dicit, Theologiam *agere de Deo principaliter.*

Reſpond. diſt. maj. cui immediate &c. ultimate, conced. maj. tantum proxime; neg. maj. & diſtincta eodem modo min. neg. conſeq. Licet enim ratio revelabilis proxime competere poſſit omni enti ſupernaturali, cum tamen principaliter, & ultimo refundatur in ipſam deitatem, propter quam omnia revelantur, ipſa nedum eſt objectum principale inter objecta revelabilia; ſed etiam ipſa ſola eſt per ſe revelabilis, & cætera ratione illius, & in hoc ſenſu loquitur D. Thom. citatus; unde ad primum explicans, quomodo Theologia principaliter agat de Deo, ait; *Sacra Doctrina non determinat de Deo, & de Creaturis ex æquo ſed de Deo principaliter, & de Creaturis ſecundum quod referuntur ad Deum, ut ad principium, vel finem.*

X. Contra. Si per impoſſibile nulla daretur revelatio de Deo auctore ſupernaturali, & ſolum ſupponeretur cognitio de Deo auctore naturali, & alia entia ſupernaturalia revelarentur per fidem, adhuc Theologia ſubſiſteret; ergo cætera revelabilia æque conſiderantur a Theologia.

Reſpondeo diſt. ant. Theologia alterius ſpeciei ſubſiſteret, tranſeat: Theologia, quæ modo eſt, nego ant. Sicut enim in facta hypotheſi non ſubſiſteret fides, quæ modo eſt, quæ, utpote virtus Theologica, debet habere eſſentialiter pro objecto Deum; ita nec ſubſiſteret hæc noſtra Theologia, quæ modo eſt, ſed alia eſſet Theologia diverſæ ſpeciei.

XI. Objicies quinto. Patres docent, Theologiam circa ſolum Deum verſari, non vero circa alia, eſto, ut referuntur ad Deum. Opponunt enim diſciplinam, quæ tractat de Incarnatione, Theologiæ, quæ tractat de Deo. Sic Baſilius *epiſt.* 141. *ne in Theologiam, ideſt in ea, quæ Divinitatis propria ſunt, intenti, aſſumptionis myſterium contemnamus.* Et Cyrillus Alexandrin. in hanc ſententiam Joann. 1. *In propria venit,* ait: *Valde oppoſite ad ſermonem de Incarnatione progreditur* (Evangeliſta) *ac ſubinde tranſit a mera Theologia ad explicandam diſpenſationem Incarnationis, quam propter nos geſſit Filius.* Hinc Patres ſolum Joannem, inter Evangeliſtas, appellarunt Theologum, quia ſolus Filii Divinitatem aperte expreſſit.

Reſpond. Juenin. *diſſert.* 3. de objecto Theologiæ diſt. antec. Patres opponunt Theologiæ, ſumptæ ex vi nominis, vel ſecundum ejus partem præcipuam, conced. Theologiæ, ſumptæ ſecundum naturam, vel adæquate, nego antec. Patres ergo, cum opponunt Theologiam Incarnationi, eam ſumunt ſecundum etymologiam, ſecundum quam eſt *ſermo de Deo*, vel ſecundum partem præcipuam: præcipue enim agit de Deo, & de aliis ſolum, ut referuntur ad Deum; non eam accipiunt ſecundum ſuam naturam, & adæquate, prout dicit omnia objecta, etiam materialia, de quibus (licet ſemper per ordinem ad Deum) ſermonem facit.

XII. Objicies ſexto contra tertiam concluſionem. Ratio formalis motiva objecti debet eſſe illi intrinſeca; ſed revelatio virtualis, cum fundetur in extrinſeco Dei teſtimonio, non eſt intrinſeca objecto Theologiæ; ergo &c.

Reſpond. majorem eſſe veram in ſcientiis naturalibus, quæ procedunt ex principiis evidentibus, & in objectum feruntur propter illius evidentiam, quæ illi intrinſeca eſt. Non vero in Theologia, quæ ſuas concluſiones deducit ex articulis fidei, quorum veritas, & certitudo habetur ex Divino teſtimonio, quod rei atteſtatæ extrinſecum eſt.

XIII. Objicies ſeptimo contra eamdem. Veracitas Divinæ Revelationis ultimo reſolvitur in deitatem, ideo enim teſtimonium illud verax eſt, & infallibile, quia Divinum eſt; ergo deitas eſt ratio formalis, & objectum quo Theologiæ.

Reſp. diſt. antec. ultimo reſolvitur in deitatem, tamquam in motivum extrinſecum, & remotum, conc. antec. tamquam in motivum immediatum, & intrinſecum, nego antec. Motivum enim immediatum, & intrinſecum, cur Theologia aſſentiatur ſuis principiis eſt, quia Deus verax in dicendo, ea revelavit, & hic ſiſtit ejus motivum; quod autem Deus ſit verax in dicendo, quia utpote ſumme ſapiens non poteſt falli, & ut ſumme bonus non poteſt fallere, & hæc omnia habeat, quia Deus eſt, eſt motivum valde remotum, nec ſpecificativum Theologiæ, quæ a ſolo motivo proximo ſpeciem ſumit.

XIV. Objicies ultimo contra idem. Objectum formale *quo* debet eſſe ita ſpecificum, & proprium, ut nullatenus alteri ab eo conveniat; ſed mediata, & virtualis revelatio non eſt ſpecifica, & propria Theologiæ, cum conveniat fidei; ergo &c. min. probatur; ideo fides adhæret iſtis articulis: Verbum Divinum eſt conſubſtantiale Patri: Chriſtus habet humanam, & Divinam voluntatem; quia ſunt mediate, & virtualiter revelati, ideſt continentur in aliis articulis immediate revelatis.

Reſpond. neg. min. ad prob. neg. antec. Fides enim, dum adhæret illis articulis, præſcindit ab hoc, quod ſint, vel immediate, vel mediate revelati: ut enim fides præbeat aſſenſum, ſatis eſt, ut certa ſit, Deum aliquem articulum revelaſſe. At Theologia non præſcindit, ſed determinate fertur in ſuas concluſiones, ut mediate ſolum revelatas. Cum enim aſſenſus ejus ſit per diſcurſum, reſpicit concluſiones ſuas, uti deductas, & conſequenter, ut contentas in principiis immediate revelatis; & ſic, ut revelatas ſolum mediate, & virtualiter. Hinc ſequitur, articulos de conſubſtantialitate Verbi cum Patre, & de duabus voluntatibus in Chriſto, eſſe in Catholico Theologo articulos fidei: quatenus tamquam Catholicus illos credit, ut revelatos: & ſimul concluſiones Theologicas, quia eas tamquam Theologus ex revelatis deducit; in ſimplici vero Catholico, qui Theologus non eſt, nec perpendit, illos eſſe contentos in aliis articulis, eſſe puros fidei articulos.

D u b i u m I.

An Theologia ſit argumentativa.

§. I.

Reſolutio dubii.

De hoc dubio plura dicta ſunt quæſtione præcedente, maxime Dubio ſecundo, & tertio; quare ne eadem inutiliter repetamus, ſtrictim hic loquemur, tyronem ad ibi dicta pro pleniori notitia remittentes.

I. Dico primo. Theologia noſtra eſt argumentativa. Ita D. Thom. hic *art.* 8. quod probat in argumento *Sed contra* ex dicto Apoſtoli *ad Tit. cap.* 1. oportere Epiſcopum eſſe potentem, *exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Chriſtus ipſe Theologorum Princeps Supremus, ad convincendos contradictores argumentative proceſſit. Unde *Matth.* 12. Phariſæos redarguens, & oſtendens, Apoſtolis licuiſſe vellere ſpicas die Sabbati, argumentatus fuit exemplo Davidis, & ab eo, quod Sacerdotes faciunt in Templo etiam die Sabbati. Alia ejus argumenta videri poſſunt *Matth.* 19. 21. 22. *Lucæ* 6. 11. & alibi, quorum multa ſane expendimus *quæſt. præced. dub.* 2. §. 2. ſicut etiam ex Paulo, quæ hic revocanda,

II. Probat D. Thomas hanc aſſertionem ſic. Omnes aliæ ſcientiæ ſunt argumentativæ, & argumentantur, dum ex principiis deducunt concluſiones; ſed Theologia eſt ſcientia (ut probatum eſt) ergo eſt argumentativa.

§. II.

Quomodo ſit argumentativa circa ſua principia.

III. Dico ſecundo. Theologia non argumentatur ad ſua principia probanda; ita D. Thom. hic: & probat: Omnis ſcientia ſupponit ſua principia, vel per ſe nota, vel in alia ſuperiori ſcientia manifeſtata; ſed Theologia eſt ſcientia; ergo ſupponit articulos fidei, qui ſunt ejus principia jam nota; ergo ea non probat.

IV. Dices. Generalis mortuorum reſurrectio eſt articulus fidei, & proinde principium Theologiæ; ſed Apoſtolus *1. Cor.* 15. probat futuram generalem reſurrectionem, quia Chriſtus reſurrexit; ergo &c.

Reſpondeo, Apoſtolum ibi argumentari contra eos, qui negabant reſurrectionem mortuorum, atque ideo non agnoſcebant illam pro principio Theologiæ, quamvis non negarent Chriſtum Dominum reſurrexiſſe: & propterea ex Reſurrectione Chriſti recte colligit reſurrectionem generalem omnium, argumento quidem non rigoroſe demonſtrativo, ſed vel ab actu ad potentiam, quaſi diceret: Chriſtus de facto reſurrexit; ergo poſſibilis eſt reſurrectio. Vel a cauſa exemplari, & effectiva, ut docet S. Thom. in *cap. 16. 1. ad Corinth. lect. 2. & 3. part. quæſt. 56.* Vel per locum a conſequente, perinde, ac ſi diceret: Si reſurrectio mortuorum non eſt; neque Chriſtus reſurrexit; atqui falſum eſt conſequens; Chriſtus enim reſurrexit, ut vos non negatis; ergo falſum eſt anteced. nam ſublato conſequente tollitur antecedens; non enim dari poteſt conſequens falſum, & antecedens verum in bona conſequentia. Secundo probat ex inconvenientibus, quæ ſequuntur, ſi Chriſtus non reſurrexit. Videatur Auguſt. *lib. de doctr. Chriſtiana cap. 31. & 32.*

V. Ut ergo intelligatur, quomodo Theologus non poſſit probare ſua principia, & quomodo poſſit. Sciendum primo, ea non poſſe probare a priori, neque a poſteriori. Eſto enim cæteræ ſcientiæ naturales probare poſſint ſua principia (ſaltem a poſteriori) id contingit, quia talia principia, utpote naturalia, habent in natura effectus ſibi proportionatos, cum quibus connectuntur, & qui aſſumi poſſunt ut medium ad ea probanda: atqui principia Theologiæ, utpote ſupernaturalia, nempe myſteria gratiæ, utpote excedentia humanæ mentis, & rationis capacitatem, nullum in ratione naturali habent medium ſibi connexum, quo oſtendi poſſint, ſive a priori, ſive a poſteriori; ergo &c. Immo nedum probari nequit eorum exiſtentia, ſed nec poſſibilitas: omne enim medium oſtendens rei poſſibilitatem, debet eſſe rei intrinſecum, vel cum intrinſecis rei connexum; nihil autem intrinſece naturale poteſt eſſe intrinſecum, aut connexum cum intrinſecis rei in ſe ſupernaturalis.

VI. Sciendum tamen ſecundo, quod licet Theologus argumentari non poſſit, ut probet ſua principia eſſe poſitive poſſibilia, poteſt tamen primo ea explicare, ſeu ab aliquo ſimili manifeſtare; vel ab inconvenienti oſtendere, quod fecit Paulus laudato loco. Poteſt ſecundo contra impugnantes tueri: & quidem ſic, ut ſi aliqua admittant eſſe vera, ex conceſſis probet reliqua, ſicut Paulus ex Chriſti reſurrectione, quam concedebant, probat generalem omnium reſurrectionem. Sic ex veteri teſtamento, quod Judæi concedunt, probat Incarnationem, & adventum Meſſiæ, quem ipſi negant; Et veritatem veteris Teſtamenti, quam negant Manichæi, probat ex novo, quod concedunt, in quo vetus approbatur, & Catholicus probat realem Corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia, quam negat Calviniſta, ex novo Teſtamento, quod admittit. Si vero nullum omnino principium admittat, ut Gentilis, poteſt oſtendere, myſteria fidei non eſſe impoſſibilia, ſolvendo omnia argumenta, quæ in contrarium affert. Pro quo

VII. Sciendum tertio, duplicem eſſe probationem, vel poſitivam, vel negativam. Probatio poſitiva fit per aſſumptum aliquod medium, quo oſtenditur neceſſaria connexio prædicati cum ſubjecto; & hoc modo jam dictum eſt, principia Theologica probari non poſſe. Probatio negativa eſt, qua evincitur, nullam eſſe repugnantiam in eo, quod affirmatur; & hic modus probandi, ſeu procedendi, eſt oſtendere, non quidem poſitive, myſteria fidei eſſe poſſibilia, ſed ſolum negative, id eſt ea non eſſe impoſſibilia.

VIII. An autem Theologus hac via procedens dici poſſit evidenter oſtendere, argumenta contra fidem nullius eſſe momenti, & conſequenter oſtendere evidenter, ſaltem evidentia negativa, myſteria fidei non eſſe impoſſibilia, noto, argumentum Gentilis, vel Hæretici contra fidem poſſe eſſe vitioſum, vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ. Si ſit vitioſum ex parte formæ, certum eſt, quod poteſt evidenter illud ſolvi; bonus enim Theologus, qui leges recte diſcurrendi novit, evidenter oſtendere poteſt, in quo peccetur contra formam rectæ argumentationis.

Difficultas eſt, an evidenter etiam ſolvi poſſint argumenta, quæ ſunt vitioſa ratione materiæ, ideſt quando antecedens falſum eſt, vel aliqua ejus pars. Videtur enim quod non. Non enim poteſt evidenter oſtendi falſitas ejus, quod aſſumitur, niſi oſtendatur evidenter veritas oppoſita, quod hic fieri non poteſt, quia talis veritas ad fidem pertinet.

IX. Hoc tamen non obſtante, reſponſio affirmativa omnino tenenda eſt, cum D. Thom. *in fine corporis hujus art.* 8. ubi, poſtquam docuit modum procedendi contra eum, qui nihil credit eorum, quæ revelata ſunt, nimirum ſolvendo rationes, ſi quas inducit contra fidem, ſubdit: *Cum enim fides infallibili veritati nitatur, impoſſibile autem ſit de vero demonſtrari contrarium; manifeſtum eſt, probationes, quæ inducuntur contra fidem, non eſſe demonſtrationes, ſed ſolubilia argumenta.*

Quod confirmatur. Argumentum peccans ex parte materiæ, non ſolum tunc ſolvitur evidenter, quando is, qui reſpondet, oſtendit, ex ipſa rei natura falſam eſſe aliquam propoſitionem quæ aſſumitur, ut vera; ſed etiam quando aliunde ſufficientem reddit rationem, cur prudenter ſibi perſuadere poſſit, & ſibi de facto perſuadeat, eam eſſe falſam. Quapropter ad ſolvendum argumentum, quod contra veritatem fidei objicitur aſſumendo quidpiam falſum, non eſt neceſſe, quod evidenter oſtendatur falſitas propoſitionis aſſumptæ, ſicut & veritas propoſitionis oppoſitæ; ſed ſatis eſt, bonam reddere rationem, cur non videatur illa propoſitio eſſe recipienda tamquam vera; quibus reſpondetur argumento in contrarium adducto. Ita Sylvius ad hunc *art. quæſito* 2. quæ conferenda ſunt cum iis, quæ tradunt Bannez ad *1. part. qu. 32. art. 1. dub. 2. concl. 1.* & Cabrera *3. p. qu. 1. art. 1.*

X. Poteſt ultimo Theologus evidenter probare, principia fidei eſſe credibilia, non ſolum oſtendendo, ea non involvere contradictionem, ſolvendo omnia argumenta, omneſque contradictiones, quæ contra ea objici poſſunt, ut dictum eſt, & Patres, ſacrique Doctores præſtitere; Sed etiam poſitive, adducendo motiva, quibus evidenter appareant credibilia: hujuſmodi ſunt miracula in confirmationem fidei facta; modus, quo Eccleſia & fides propagata eſt; Univerſalis conſenſus doctrinæ, & morum; ſanctitas, & alia, de quibus in tractatu de fide, ſi Deus annuerit, fuſe loquemur.

XI. Neque hinc inferas: ſi myſteria fidei poſitive probari poſſunt, & evidenter, eſſe credibilia: ergo & poſſibilia; nihil enim eſt credibile, niſi verum, nihil autem eſt verum, niſi, vel exiſtat, vel ſit poſſibile, quia impoſſibile, neque eſt ens, neque proinde verum.

Nego enim conſequentiam; licet enim quod eſt credibile ſit etiam poſſibile, non tamen hinc ſequitur, ſi aliquid probatur evidenter credibile, probari etiam poſitive, eſſe evidenter poſſibile. Nam ad probandam poſitive & evidenter credibilitatem ſufficiunt media extrinſeca rei creditæ, puta auctoritas dicentis, miracula, modus mirabilis propagationis fidei, numerus ſine numero eorum, qui pro ea vitam dederunt &c. quæ omnia præſto ſunt. At ad probandam rei poſſibilitatem poſitive & evidenter, requiritur medium rei intrinſecum, quo probetur, prædicatum poſſe convenire ſubjecto; hoc autem medium non adeſt in natura.

XII. Neque dicas. Saltem probari poteſt, myſteria fidei non eſſe impoſſibilia; ergo probari poteſt, eſſe poſſibilia; quia inter eſſe impoſſibile, & poſſibile non datur medium.

Nego enim ſimiliter conſequentiam, & ejus probationem: quia, ut monet Philoſophus *lib. de interpret. cap. 3.* poſſibile, & impoſſibile non ſunt contradictoria, quia utrumque eſt affirmativum; ſed impoſſibile, & non impoſſibile: unde ex quo probetur myſteria fidei non eſſe non impoſſibilia, ſolum concludi poteſt, ea eſſe impoſſibilia. Addo, quod eſto inter poſſibile, & impoſſibile nihil mediet in re, tamen inter rem poſſe demonſtrari poſitive poſſibilem, & poſſe demonſtrari poſitive impoſſibilem, datur medium, ſcilicet, nec poſſe demonſtrari poſitive poſſibilem, nec poſſe demonſtrari poſitive impoſſibilem, dum non apparent rationes urgentes, quibus poſſibilitas rei, vel impoſſibilitas evincatur, ſed tantum non impoſſibilitas.

QUÆSTIO III.

De locis Theologicis.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex ſit Locus Theologicus.

§. I.

Reſolutio dubii.

I. PRimus, qui hac de re effuſo ſtilo tractaverit, omnium conſenſu, fuit celeberrimus vir, ac omnigena eruditione præditus Melchior Canus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Canarienſis in ſuo vere aureo Opere, quod inſcripſit *De Locis Theologicis*, atque in duodecim libros diſtribuit. Si preſſius hanc materiam proſequi in animo eſſet, diutius ſane in ea nobis immorari oporteret. Verum, quia ad alia plurima tranſeundum nobis eſt, ut Theologicum curſum perficiamus, inter quæ multa ad hanc materiam ſpectantia tractanda erunt; Ideo hic ea ſolum, quæ ad inſtruendum tyronem de locorum Theologicorum notitia neceſſaria judicabimus, ſtricto calamo expendemus.

Quemadmodum ergo (inquit laudatus Canus *lib. 1. cap. ult.*) *Ariſtoteles in Topicis propoſuit communes locos, quaſi argumentorum ſedes, & notas, ex quibus omnis argumentatio ad omnem diſputationem inveniretur; ſic & nos peculiares quoſdam Theologiæ locos proponimus, tamquam domicilia omnium argumentorum Theologicorum, ex quibus Theologi omnes ſuas argumentationes, ſive ad confirmandum, ſive ad refellendum inveniant.* Hæc Canus. Ex quibus habes Loci Theologici definitionem, nempe quod ſit: Domicilium, & ſedes, ex qua Theologus omnes ſuas argumentationes, ſive ad confirmandas Theologicas veritates, ſive ad refellenda contraria depromere poteſt.

II. Circa locorum Theologicorum numerum: alii plures, alii pauciores recenſent. Canus uſque ad decem loco citato enumerat.

1. Eſt auctoritas ſacræ Scripturæ, quæ Libris Canonicis continetur.

2. Au-

2. Auctoritas traditionum Chriſti & Apoſtolorum, quæ quoniam ſcriptæ non ſunt, ſed de aure in aurem ad nos pervenerunt, vivæ vocis oracula rectiſſime dixeris.

3. Auctoritas Eccleſiæ Casholicæ.

4. Auctoritas Conciliorum, præſertim generalium, in quibus Eccleſiæ Catholicæ auctoritas reſidet.

5. Auctoritas Eccleſiæ Romanæ, quæ divino privilegio, & eſt, & vocatur Apoſtolica.

6. Auctoritas Sanctorum veterum.

7. Auctoritas Theologorum Scholaſticorum, quibus adjungi poſſunt Juris Pontificii periti: nam Juris hujus doctrina, quaſi ex altera parte Scholaſticæ Theologiæ reſpondet.

8. Ratio naturalis, quæ per omnes ſcientias naturali lumine inventas latiſſime patet.

9. Auctoritas Philoſophorum, qui naturam ducem ſequuntur, in quibus ſunt etiam Cæſarei Juris Conſulti, qui veram & ipſi Philoſophiam profitentur.

10. Et poſtremus eſt humanæ auctoritas hiſtoriæ, ſive per auctores fide dignos ſcriptæ, ſive de gente in gentem traditæ, non ſuperſtitioſe, atque aniliter, ſed gravi, conſtantique ratione. Ita Canus.

III. Sylvius tamen in hunc *art.* 8. *quæſt.* 2. enumerat ſolos octo. Sacram Scripturam, traditionem, auctoritatem Eccleſiæ, decreta Pontificum, & Conciliorum, auctoritatem Patrum, & Scholaſticorum, & rationem naturalem; omittens auctoritatem Philoſophorum, & humanæ hiſtoriæ. S. Thomas hic ad ſecundum enumerat ſolos tres, nimirum; auctoritatem Scripturæ, Doctorum, & Philoſophorum. Verum, ut bene notat Sylvius loco laudato, vel non fuit S. Thomæ propoſitum, recenſere omnes locos, ex quibus Theologus poteſt argumenta deſumere, ſed ſolum oſtendere Theologiam eſſe argumentativam, eo quod aliquos habeat locos. Vel ſub illis tribus, quos exprimit alios implicite comprehendit, ut ſub auctoritate Scripturæ auctoritatem traditionum, Conciliorum, Eccleſiæ, & Pontificum: dum enim in cauſa fidei decernunt; ſemper loquuntur ex Scriptura, ſeu ex Verbo Dei. Sub auctoritate Doctorum, auctoritatem Patrum, Scholaſticorum, & Juris Pontificii interpretum; Sub auctoritate Philoſophorum, auctoritatem humanæ hiſtoriæ ſcriptæ, vel traditæ, & naturalis rationis. Cum ergo in his, licet paucioribus, alii contineantur, a Cano expreſſius diſtincti, ejuſdem enumeratio, utpote magis diſtincta, ſuſtinenda eſt. Per omnes enim præfatos locos velut apis volitat, & ſpatiatur Theologus, ut inde mel veritatis per diſcurſum efformet, aliter tamen, & aliter.

§. II.

An ex omnibus præfatis locis æqualiter argumentari poſſit Theologus.

IV. OBſervo, quod ubi in aliis ſcientiis naturalibus principem locum obtinet ratio, locus vero ab auctoritate eſt infirmiſſimus, in hac ex oppoſito primum locum obtinet auctoritas, poſtremum ratio naturalis. Licet enim locus ab auctoritate, quæ fundatur ſuper ratione humana, ſit infirmiſſimus, locus tamen ab auctoritate, quæ fundatur ſuper revelatione Divina, eſt efficaciſſimus. Cum ergo Theologia, quæ, ut dictum eſt, nititur principiis revelatis Fide divina, procedit ex Auctoritate Divina, procedit ex loco ſibi proprio ad directe probandas ſuas concluſiones; cum vero procedit ex ratione naturali, procedit ex loco ſibi extraneo; nec ratione utitur ad directe ſuas concluſiones probandas, ſed ad manifeſtanda alia, quæ in hac doctrina traduntur; vel ad oſtendendum ea, quæ ipſa tradit, rationi naturali non repugnare. Ut autem hæc, quæ indicat D. Thom. hoc *art.* 8. *ad* 2. preſſius explicentur,

V. Obſervandum eſt, quod licet Theologus ex omnibus, & ſingulis præfatis locis poſſit ſumere argumenta, non tamen ex omnibus æque efficaciter argumentatur. Nam ex aliquibus argumenta ſumit ad concludendum efficaciter, & neceſſarie; ex aliis vero ſolum probabiliter: & propterea primi vocantur loci intrinſeci, & proprii Theologiæ, alii vero extrinſeci, ſeu extranei, & quaſi in famulatum ejus ab externo advenientes.

VI. Locos ergo Theologiæ proprios, ſeptem priores eſſe, cenſet Canus, nempe auctoritatem Scripturæ, Traditionis, Eccleſiæ Catholicæ, Conciliorum Generalium, Pontificum Romanorum, omnium Sanctorum Patrum. & omnium Scholaſticorum in una aliqua re fidem ſpectante concorditer, ac perpetuo conſentientium. Alii ſolos tres aſſignant, ut proprios, & domeſticos, nempe Scripturam ſacram Veteri, & Novo Teſtamento exaratam, Traditionem Chriſti, & Apoſtolorum, ad quam revocant communem Patrum, & Doctorum ſenſum in loquendo, & docendo, & fidelium in credendo; & auctoritatem Eccleſiæ, quæ Conciliorum, & Summorum Pontificum decreta complectitur.

VII. Loci vero Theologici, quaſi extranei, & ſolum probabiliter concludentes, ſunt auctoritas unius, vel plurium Patrum, aut Scholaſticorum, non tamen omnium, nec perpetuam, nec ex verbo Dei, ſed ex humano ſenſu doctrinam loquentium, auctoritas Philoſophorum, hiſtoriæ humanæ, & ratio naturalis.

DUBIUM II.

De Sacra Scripturæ uſu in argumentis Theologicis.

§. I.

Quid ſit Sacra Scriptura, & quotuplex.

NON agam hic omnes quæſtiones, de ſacra Scriptura agitari ſolitas; has enim Lectoribus ſacræ Scripturæ tractandas relinquam; ſed eas ſolas, quæ Theologo inſervire poſſunt, ut ex Scriptura Divina firmum trahere poſſit argumentum.

I. Scriptura ſacra nil aliud eſt, quam Verbum Dei ſcriptum, ſeu epiſtola Dei ad homines. Sic D. Chryſoſt. *hom. 3. in Gen.* poſtquam ait, Deum ab initio per ſe ipſum hominibus locutum fuiſſe: *ſic enim ad Adam venit, ſic Cain increpavit, ſic cum Noe locutus, ſic apud Abraham hoſpitatus eſt.* Poſterioribus tamen temporibus, quia homines malitia ſua Dei familiaritate ſeſe indignos reddiderant, nec ſe totum volens a genere humano avertere, immo ſuam amicitiam renovare, *quaſi longe abſentibus litteras mittit, conciliaturus ſibi univerſam hominum naturam.* Et S. Auguſt. *Conc. 2. in Pſ. 90. De illa,* inquit) *Civitate, unde peregrinamur, littera nobis venerunt. Ipſa ſunt Scriptura, qua nos hortantur, ut bene vivamus.* Denique Sanctus Gregorius Magnus *lib. 5. epiſt. 31. al.* 40. ad Theodorum Medicum. *Imperator,* inquit, *Cæli Dominus, Hominum, & Angelorum, pro vita tua tibi ſuas epiſtolas tranſmiſit, & tu glorioſe fili eaſdem epiſtolas ardenter legere negligis? Quid eſt autem ſacra Scriptura, niſi quædam epiſtola Omnipotentis Dei ad Creaturam ſuam?*

II. Triplici autem via ſcribere homini Deus conſuevit. Primo via naturæ, hoc eſt per univerſas creaturas ſcripſit naturalem illam epiſtolam, & ſcripturam, ſeu potius potentiſſimum illud, & ubique diffuſum librum naturæ, in quo, Apoſtolo teſte *Rom. cap. 1. verſ. 20. Inviſibilia ipſius a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* In quo *Pſalm. 95. verſ. 1. Cantate Domino omnis terra.* In quo *Pſalm. 18. v. 1. Cæli enarrant gloriam Dei.* Et *Pſalm. 148. laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes Stellæ, & lumen, laudate eum Cæli Cælorum, & aquæ omnes &c.* Hic eſt ille liber, de quo S. Antonius Anachoretarum parens rogatus a Gentili Philoſopho, quomodo in Eremo ſine libris ageret, reſpondit apud Socratem *lib. 3. hiſt. c. 13. Meus liber, o Philoſophe, eſt natura rerum a Deo conditarum, in qua quotieſcumque ſit animo meo viſum, legere poſſum, quæ Deus dicit.*

Secundo via Prophetiæ, quomodo ſcripſit per Prophetas in veteri Teſtamento, & per Apoſtolos, alioſque ſacros Scriptores in novo. Et hoc dupliciter. Primo quaſi per ſeipſum ſcribens digito ſuo, quo pacto ſcripſit in duabus tabulis legem Decalogi in veteri Teſtamento, juxta illud *cap. 31. v. 18. Deditque Dominus Moyſi, completis hujuſmodi ſermonibus in Monte Sinai, duas tabulas teſtimonii lapideas, ſcriptas digito Dei.* In novo tamen Teſtamento ſcripſit per ſeipſum Chriſtus Dominus legem ſuam, non in tabulis lapideis, ſed in corde Eccleſiæ, non atramento, & materiali calamo, ſed digito, ideſt ſpiritu Dei, juxta illud Pauli ad *Hebræos c. 8. v. 10. Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas.* Quod promiſit Chriſtus *Joann. 14. v. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritus veritatis. Et v. 26. ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Hæc autem Scriptura Divina in corde Eccleſiæ Spiritu Dei ſcripta, nil aliud eſt, quam communis, ac perpetuus Eccleſiæ conſenſus, & concors omnium fidelium doctrina per continuas ſucceſſiones ad nos uſque recepta, juxta illud Pauli *2. Cor. 3. v. 3. Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, non tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*

III. Secundo autem modo ſcribit Deus, ſuis Amanuenſibus ſacris dictando, vel verba, vel ſaltem ſenſum. Hoc modo ſcripſit totam Scripturam veterem Legis, & Prophetarum, juxta illud *Pſalm. 44. v. 2. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Et *2. Reg. cap. 23. v. 2. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam;* Et illud S. Petri *epiſt. 2. cap. 1. v. 21. Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines.* Ita in novo Teſtamento per Evangeliſtas ſcripſit Evangelia, per Apoſtolos canonicas epiſtolas.

IV. Afferri ſolet tertius modus, nimirum, quo Deus, nec ſcribit per ſe ipſum, nec alteri dictat, ſed alteri committit ſcribere, & dictare, ei aſſiſtendo, & confirmando quod ſcribit. Ita ſe geſſit in veteri Teſtamento, dum Summos Pontifices in Cathedra Moſaica ſedentes, delegavit ad decreta, & ſententias ferendas, eas ſuo quaſi ſigillo approbans, & confirmans, ut *Deuter. 19. v. 12.* Ita etiam in nova Lege ſe gerit erga ſuos in Terris Vicarios Romanos Pontifices, erga Œcumenica Concilia, erga Eccleſiam Catholicam, cui commiſit Canones edere, & decreta ſuo quaſi ſigillo approbans, & muniens, ait, *Lucæ 10. 16. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit; qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me:* Et *Matth. 18. 17. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Verum, quia hoc tertio modo revera Deus, nec ſcribit per ſe, nec per alium, ſed potius ſcripta ab homine regit, & approbat: ideo nomine ſacræ Scripturæ ſolum venit Scriptura primo, & ſecundo modo, hoc eſt a Deo, vel ſcribente, vel dictante perfecta.

V. Hanc ſacram & vere divinam Scripturam dari, eamque eſſe noſtram, Propheticam videlicet, & Apoſtolicam nobis ab Eccleſia propoſitam; taleſque eſſe omnes ejus libros,

in Tri-